

22. *Coroll. I.* — **Proprium discrimen substantialis ab accidentalis forma.** — Ex his haec ducuntur consideratione et intellectu dignissima. Patet itaque imprimis, quid praecise differat formam accidentalem inter ac formam substantialem. \* Dicendum, ait Angelicus, quod forma substantialis et accidentalis partim conveniunt, et partim differunt. Conveniunt quidem in hoc, quod utraque est actus, et secundum utramque est aliquid quodammodo in actu; differunt tamen in duobus. Primo quidem, quia

sentem rem declarandam, praestat haec subicere ex I. Kleutgen, qui optime omnino ea titur ex mente Philosophi et Angelici. \* Sogliono, ait, gli Scolastici dire con Aristotele, che la figura si riferisce a ciò che per lei è figurato come la forma alla materia; e per quanto la figura sia solo un accidente, sogliono tuttavia con questa somiglianza spiegare la forma sostanziale nella sua opposizione all'accidentale. Ma per intenderla direttamente, è uopo nel figurato prescindere dalla sua sostanza ed in esso considerare solamente ciò per cui è capace della figura: un figurabile per un modo di dire. Sia oro, marmo, o cera, però solo che è corpo e come tale è esteso, esso può ricevere diverse figure e ne deve avere una qualsiasi, quantunque nessuna gli sia essenziale. Come dunque il figurabile si riferisce alla figura, così si riferisce la materia prima alla forma sostanziale. Perciò che alla maniera, che la figura fa del figurabile il figurato, nella medesima la forma fa della materia il corpo; e come il figurabile può ricevere qualunque figura, e non può essere senza una qualche figura, in somigliante modo la materia può divenire corpo di qualunque specie, e per conseguente può ricevere in sé tutte le possibili forme, ma deve, per esistere, essere determinata ad una specie di sostanza corporea per mezzo di una qualche forma. Ora si osservi, come un esteso può essere suscettivo di qualunque figura nella sola condizione, che la sua natura, benchè ne richiegga una qualsiasi, non ne richiede questa, o quell'altra. Stante che, se fosse posto nella natura di un corpo il non esistere altrimenti, che sotto una certa figura, poniamo di rotondo, certo la sua figura potrebbe sempre ricevere svariate alterazioni, a patto nondimeno, che esse non togliessero via il rotondo, del quale sarebbero modificazioni o accidenti. Per ciò dicevamo poc'anzi che, in questa somiglianza, è uopo prescindere dalle altre qualità delle cose corporee, per considerarle semplicemente come figurabili. Mercede solamente così essa corrisponde alla materia prima, della quale si parla nella Scolastica: giacchè questa però appunto può, per la forma corrispondente, diventare qualsivoglia specie di corpo, perchè in sé e per sé non appartiene ancora a veruna specie di corpo. ( *Filosofia ant.*, tratt. 7, n. 674, 675.)

forma substantialis facit esse simpliciter, et eius subiectum est ens in potentia tantum: forma autem accidentalis non facit esse simpliciter, sed esse tale aut tantum aut tali modo se habens; subiectum enim eius est ens in actu. Unde patet, quod actualitas per prius invenitur in forma substantiali, quam in eius subiecto. Sed e converso, actualitas per prius invenitur in subiecto formae accidentalis, quam in forma accidentalī; unde actualitas formae accidentalis causatur ab actualitate subiecti: ita quod subiectum, in quantum est in potentia, est susceptivum formae accidentalis; in quantum autem est in actu, est eius productivum. Et hoc dico de proprio et per se accidente; nam respectu accidentis extranei subiectum est susceptivum tantum, productivum vero talis accidentis est agens extrinsecum. Secundo autem differunt substantialis forma et accidentalis, quia cum minus principale sit propter principalius, materia est propter formam substantialem; sed e converso forma accidentalis est propter completionem subiecti. ( *Summa th.*, 1. p. q. 77, a. 6.) Confer etiam quae in Philosophia Prima declaravimus [645; 651, seq.].

23. *Coroll. II.* — **Forma substantialis subsistens.** Intellegitur praeterea ex doctrina eiusdem Aquinatis discrimen formae *subsistentis* a *non subsistente*: non enim omnis forma substantialis est forma subsistens, ut nonnulli imaginantur. Forma itaque subsistens est ea, cui *proprie et ratione sui* competit esse, ac proinde fieri, quippe quod est via ad esse: atque adeo consortio materiae minime eget ad existendum. Forma vero non subsistens ea dicitur quae eatenus subsistit ac fit, quatenus compositum ex ea subsistit ac fit, sic nimirum ut illud, quod subsistit non sit forma tantum, nec materia tantum, sed compositum ex utroque. Ex quo illud eruitur maxime notandum. Prior scilicet forma non desinit esse per hoc quod compositum corruptatur; alia contra connaturaliter esse desinit, corrupto subiecto. Nec praeterea forma non subsistens confunditur cum forma accidentalī. Haec enim, secus ac illa, minime ingreditur in constitutionem ipsius subiecti, quod est *hoc aliquid*, et cui cetera advenire intelliguntur.



Unde B. Thomas, cum dixerit [18. not.], esse in quo res subsistere intelligitur, minime causari ab accidente, utpote eo naturaliter prius, haec subdit. \* Unde ex accidenti et subiecto non fit unum per se, sed per accidens: *et ideo ex eorum coniunctione non resultat essentia quaedam, sicut ex coniunctione formae cum materia.* Propter quod accidens neque rationem completae essentiae habet, neque pars completae essentiae est; sed sicut est ens secundum quid, ita et essentiam secundum quid habet. \*

24. *Coroll. III.* — **Qua ratione forma substantialis sit principium essendi et operandi.** — Patet tertio, quinam sit sensus subiiciendus locutioni quae saepissime apud veteres scholasticos et nominatim apud S. Thomam invenitur, cum dicunt materiam a forma, tanquam a principio, habere ut sit. Non est sane id ita accipiendum, quasi *existentia* materiae sit unum idemque cum *essentia* formae; nec iterum perinde ac forma sit principium *effectivum* materiae, a quo scilicet haec recipiat esse sicut a sua causa efficiente. Intelligitur itaque, quatenus materia ex forma habet, ut in specie aliqua determinata constituatur, sicut potentia dicitur constitui seu compleri per actum correspondentem; ex quo ulterius fit, ut materia, per huiusmodi formalem actum specificata, intelligatur esse proxime potens ut in rerum natura existat, actum scilicet essendi recipiat. Audiatur Angelicus. \* Ad ipsam etiam formam comparatur ipsum esse ut actus: per hoc enim in compositis ex materia et forma dicitur principium essendi, quia est *complementum substantiae cuius actus est ipsum esse*: sicut diaphanum est aëri principium lucendi, quia facit eum proprium subiectum luminis. \* (2. *Cont. Gent.* c. 54. n. 3.)

Inde etiam recte accipitur, quod etiam dici consuevit, cum forma exhibetur tanquam principium operationis propriae rei quae ea componitur. Quum enim unumquodque agat secundum quod est actus; quae enim sunt in potentia, prout huiusmodi sunt actionis expertia [*Pr. Ph.* 569]: hinc forma recte concipitur in re ut principium operationis propriae ipsius. *Propria forma unius-*

*cuiusque faciens ipsam esse in actu, est principium operationis propriae ipsius.* (*Summa th.* 2. 2<sup>ae</sup> q. 179.) Minime vero eo datur intelligi, formam dumtaxat esse operationis principium; tota enim natura composita ex materia et forma est principium adaequatum specificae operationis in re qualibet. Dicitur itaque forma prae materia principium huiusmodi, quia quemadmodum ex ipsa res quaerpiam habet ut sit actu in hac vel illa specie, ita ex eadem sortitur etiam ut sit principium operationis, quippe quae non in potentia, sed in actu fundatur. \* Agere, ait rursus S. Doctor, non est nisi per se subsistentis, et ideo neque materia agit, neque forma, sed compositum, quod tamen non agit ratione materiae, sed ratione formae, quae est actus et actionis principium. \* (4. *Dist.* 12. a. 2. solut. 1.)

25. *Coroll. IV.* — **Omnis forma substantialis posita est in indivisibili.** — Postremo facile deducitur ex dictis, nullam formam substantialem suscipere posse magis vel minus, sed quancunque *diversitatem* secundum maiorem vel minorem gradum perfectionis, quae in ea concipitur, continuo efficiere *speciei diversitatem*. Id enim est proprium substantiae [*Pr. Ph.* 520, 5<sup>ae</sup>; 524]: atqui ex forma substantiali res habet ut in specie substantiae constituatur. Apposite S. Thomas. \* Esse substantiale cuiuslibet rei in indivisibili consistit; et omnis additio vel subtractio variat speciem, sicut in numeris, ut dicitur in 8. *Metaph.* Unde impossibile est quod forma substantialis quaecumque recipiat magis et minus. \* (*Summa th.* 1. p. q. 76. a. 4. ad 4.) Et alibi. \* Nulla forma substantialis recipit magis et minus; sed superadditio maioris perfectionis variat speciem, sicut additio unitatis facit aliam speciem in numeris. \* (*Ibid.* q. 118. a. 2.)

## § 3.

• *Notio generica corporis.*

26. **Quae compositio per se primo sit de ratione corporis prout huiusmodi.** — Quum compositio ex po-



tentia et actu minime officiali unitati, *per se et simpliciter* dictae; mutuo quippe se complent in eadem formali ratione; hinc ex unione materiae et formae ante descriptae exurgit substantia, *per se et simpliciter* una, composita tamen. Huiusmodi porro compositio ea est quae ex mente Aquinatis ipsam genericam rationem *corporis* constituit, ac illud a *spiritu* seu spirituali substantia primo distinguit. Tametsi proinde corpus communiter describi consuevit, *Substantia suapte natura trinam dimensionem in spatio postulans*; quae descriptio prior ac notior est quoad nos: vera tamen et quidditativa definitio corporis quae sit simpliciter prior et secundum se notior, haec esse debet: *Substantia ex materia et forma composita*, vel brevius etiam; *Substantia composita* (1). Ad rem Doctor Angelicus, " In rebus compositis est considerare duplicem actum et duplicem potentiam. Nam primo quidem materia est ut potentia respectu formae et forma est actus eius; et iterum natura constituta ex materia et forma est ut potentia respectu ipsius esse, *in quantum est susceptiva eius*. Remoto igitur fundamento materiae, si remaneat aliqua forma determinatae naturae per se subsistens, non in materia, adhuc comparabitur ad suum esse ut potentia ad actum. Non dico autem ut potentiam separabilem ab actu, sed quam semper actus suus comitetur. Et hoc modo natura spiritualis substantiae, quae non est composita ex materia et forma, est ut potentia respectu sui esse. " (Qq. Disp. *De spirit. creat.* a. 1.)

### 27. Explicatio dictorum per causam finalem.

Quoniam nihil prohibet definitionem, licet quidditativam,

(1) Consulto sic loquimur. Nulla enim alia habetur compositio, quae sit in ipsa ratione substantiae, praeter eam quae ex materia et forma constituitur. Neque obstat, quod in substantiis etiam spiritualibus detur vera compositio *ex essentia et esse*: haec quippe minime efficit ut ipsa substantia in sua essentiali ratione sit composita. Ut enim alibi declaravimus cum S. Thoma [*Pr. Ph.* 516, I], esse non pertinet ad essentialem rationem substantiae creatae, ac propterea substantia creata non delimitur *ens per se, sed essentia seu quidditas cui concenit per se esse*.

quae ducitur ex una causa, explicare et etiam demonstrare per eam quae ducitur ex alia causa altiori; in ordine vero causarum primatum teneat causa finalis [*Pr. Ph.* 391, 667, II]; non abs re erit ostendere, quo pacto quae diximus, profundam explicationem mutuari possint ex fine absolute ultimo totius creationis, qui, ut suo loco ostendetur, in eo est ut res qualibet pro suo modo et mensura divinae essentiae similitudinem referat. Et re quidem vera, proprius quasi character divinae essentiae in eo cernitur, ut sit nimirum actus et solus actus, atque adeo ab omni potentialitate alienus [*Pr. Ph.* 579...]. Hinc creaturae omnes in hoc primo divinam similitudinem referunt, quod unaquaeque pro suo modo actus essendi, qui omnium aliorum fundamentum est, appetit illumque conservat quantum potest; ac propterea *Sap. I.* 14. dicitur: *Creavit enim Deus ut essent omnia*. Differunt tamen, quia in hoc ipso aliquid potentialitatis continent; quippe in omni creatura essentialiter comparatur ad esse, ut potentia ad actum [*Pr. Ph.* 584...]. In hac porro generali assimilatione creaturarum omnium cum Creatore non idem est gradus. Substantiae namque spirituales, tametsi, ut modo dictum est, in ipsa essendi ratione, ut ceterae, potentia contenti, si tamen spectetur sola ipsarum essentia seu quidditas, haec non est nisi actus; quare sunt naturaliter incorruptibiles. Contra accidit in substantiis materialibus, eo ipso quod eiusmodi sint, materiales scilicet. Quare maxime reequent ab actualitate divini prototypi: quae proinde dissimilitudo releueat etiam necesse est in ceteris attributis consequentibus. Atqui quod primo derivari intelligitur ex summa actualitate divini esse est omnimoda ipsius simplicitas quodcumque verae compositionis genus a se excludens [*Pr. Ph.* 581, II]. Hinc, quemadmodum in omni creatura compositio aliqua invenitur tum ex essentia et esse, tum ex substantia et accidente, ita in creatura materiali, cum sit maxime elongata a sinceritate divini actus, releuet insuper vera et interna compositio in ipsa quidditate substantiali secundum quam primo subsistit. Praeterea, ex eadem summa actualitate divini esse consequitur, ut secun-

dum eandem simplicissimam entitatem cōexistat omnibus temporibus et spatiis possibilibus. Ex opposita proinde ratione intelligibile fit etiam, cur corpus, prae spiritu, durationem habeat, ac praesentiam in spatio imperfectissimam. Atqui in hac imperfecta praesentia in spatio continetur *moles* illa ratione cuius corpus dicitur trinae dimensionis subiectum. Quare, a primo ad ultimum, in doctrina exposita, ratio maxime a priori ducitur ad explicandum primo, cur corpus substantia sit composita; dein vero cur trinae dimensionis naturaliter subiciatur: quorum illud essentialem, hoc vero descriptivam definitionem eiusdem corporis refert. Ratio nimirum haec est, quia corpus, utpote materia constans, maxime recedit ab actualitate divini esse. Hinc etiam Angelicus Doctor ostendit, ipsam genericam rationem substantiae, videlicet *per se stantis*, perfectiori modo spiritalibus quam corporibus convenire. \* Si dicatur, ait, stans per se ipsum quod non dependet a superiore agente, sic stare per se ipsum convenit soli Deo, qui est causa prima a qua omnes causae secundae dependent. Si autem dicatur per se stans illud quod non formatur per aliquid aliud, sed ipsummet est forma, sic esse stans per se ipsum convenit omnibus substantiis immaterialibus. Substantia enim composita ex materia et forma non est stans per se ipsam nisi ratione partium; quia scilicet materia est per formam, et forma sustentatur in materia. (Lib. *De Causis*, lect. 26.)

### SECTIO V.

#### *Substantialis corporum diversitas et compositio propugnatur.*

28. *Quae res probanda et qua ratione.* — Ea quae in praecedenti sectione declaravimus, et fere exserpsimus ex doctrina Angelici, alia ex aliis nexa ita cohaerent invicem, ut si alia ratio deesset, hoc ipsum ea efficeret probatu digna. Praestat itaque, ut ea tantum argumentis

evinemus, unde cetera legitima ratiocinatione derivamus. Haec porro duo sunt, *specifica scilicet corporum diversitas et interna compositio eorundem in ipsa substantiali quidditate qua subsistunt*. Si enim haec duo constiterint, nihil est cur cetera quae in praecedenti sectione declaravimus, reiici aut debeant aut possint. Usui porro erunt in praesenti argumenta, quae *generatim* rem evincunt pro corporibus sive organicis sive anorganicis. Quare omittimus quae sunt exclusive propria viventium, humani corporis praesertim. Id enim plane requiritur ut *generica* ratio corporis constabiliatur, prout fert titulus praesenti disputationi praefixus.

### THESIS III.

*Corpora naturalia specificè differant, non solum ad diversa eorundem accidentia, sed in ipsa natura seu substantia.*

29. *Declaratio.* — Antequam res probetur, duo notentur. Primo: sermonem habemus de corporibus quae sunt ex natura, et communi calculo censentur diversa quoad speciem; cuiusmodi habentur imprimis corpora organica, eaque in suis variis familiis distincta sive vegetalia sive animalium; tum vero etiam anorganica, elementaria vel mixta, quae ut specificè diversa in Chimia recensentur. Quaerimus scilicet, utrum haec *specificè* diversitas, quam, communi sermone saltem, nemo non admittit, sit proprie et severe intelligenda, nimirum in ipsa natura substantiali, vel secundum quid tantum, ad sola scilicet accidentia quod spectat. Secundo: minime quaestio est de quantitativis corporum dimensionibus. Quare quae modo dicemus valent quoad particulas seu *moleculas* in quas divisione mechanica resolvitur, et in quibus ratio specificè cuiusque corporis salvatur. Alibi vero disutiendum reservamus, utrum hae moleculae in una ea-



demque corporis massa, viventis praesertim, vera inter se cōtinitate copulentur nec ne. Argumenta mox afferenda magna ex parte, tametsi polemicae, iam praeformata fuerunt praesertim contra placita philosophiae corpuscularis rem declaravimus [8, seqq.]. Ducuntur vero potissimum tum ex propria ratione corporis naturalis, tum ex specifica diversitate operationum quas in natura conspiciuntur, tum denique ex fine generali totius creationis. Sic itaque directe haec exponimus.

30. *Argumentum I.* — Corpora de quibus loquimur, natura constant et in specie collocantur. Atqui natura rei cuiusque minime differt ab eius substantia. Ergo corpora quorum sermo est specificè differunt in ipsa substantia. Huius syllogismi consequentia legitima est. Minor constat ex ipsa naturae definitione tradita ab Aristotele quam initio praemisimus, quaeque communi sapientum consensu recipitur. Maior denique, praeter quam quod ex ipso communi naturae sensu constare videtur, sic ulterius comprobari potest.

Et sane, si res consideretur in corporibus viventibus videtur fere per se nota. Operationem quippe habent omnino propriam, atque adeo proprio etiam huius operationis principio constant necesse est. Atqui naturam habere dicuntur quaecumque *secundum quod ipsa* motus principium habent [4]. Quare ipsum naturae vocabulum primum ut notiori impositum fuit ipsi *nativitati* viventium, ita ut nativitas dicatur, quia est *via ad naturam*, ut notavit Philosophus (2. *Phys.* c. 1.).

Hinc autem idem evincimus, ex analogiae argumento, quoad cetera corpora. Quemadmodum enim in organicis, sic etiam in corporibus anorganicis, conspiciuntur operationem omnino propriam, eamque diversam pro cuiusque speciei diversitate. Praeterea, sicut *viventia*, eo quod natura constant, producant sibi simile, secus ac artificiatia quae natura carent [6]; simili ratione inorganica etiam ex insita vi et quasi appetitu tendunt quantum possunt ad sibi simile producendum, tametsi id imperfectiori modo assequantur, utpote in inferiori naturae

gradu constituta. Hinc proprietates quas conspiciuntur in mixtis, temperamentum quoddam sunt qualitatium contrariarum elementorum, ex quorum mixta et contraria actione efflorescunt.

31. *Argumentum II.* — Probatio altera ducitur, ut diximus, ex *diversitate operationum*. Operatio nimirum cuiusque corporis naturalis manifeste se exhibet intrinsece determinatam, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem. Secus unicuique corpori naturali effectus quicumque essent plane indifferentes. Requiritur proinde aliquod principium unde haec specificatio legitime repeti queat. Quare etiam in iis, quae sunt ex arte, necessario requiritur *idea* artificis, quo scilicet eius actio specificè determinetur. Hoc porro principium, respectu operationis propriae cuique corpori, vel est ei intrinsecum, vel extraneum. Hoc secundum dici non potest. Ratio est, quia sic eiusmodi operatio corpori esset aut violenta aut praeternaturalis, quemadmodum ex. gr. est motus sagittae quo a proiciente impellitur, aut motus ferri quando igne incandescit vel liquescit, qui motus cessant cessante actione extrinseci agentis unde proficiscuntur. Videmus autem e converso unumquodque corpus naturale tum maxime suam propriam actionem exercere, cum in suo statu naturali relinquitur, etiam remoto influxu extrinseci agentis, puta caloricis vel electrici, unde fuit productum. Fateri igitur oportet, principium quod postulamus, corpori intrinsecum esse debere. Vel itaque consistit in accidentali eiusdem qualitate, vel in ipsa substantia. Hoc postremum si dicatur, habemus intentum: sin vero alterum, instaurabitur rursus argumentum, atque huius qualitatis principium exspectabitur, donec aliquando fateamur, operationem propriam cuiusque corporis, vel non esse naturalem, vel suam radicem habere in ipso esse substantiali cuiusque corporis; quod, utpote diversum pro specifica diversitate corporum, diversarum etiam qualitatium et operationum principium existit. "In omnibus quae non a casu generantur, necesse est formam esse finem generationis cuiuscumque. Agens autem non ageret propter formam,

nisi in quantum similitudo formae est in ipso. Quod quidem contingit dupliciter. In quibusdam enim agentibus praexistit forma rei fiendae secundum esse naturae, sicut in his quae agunt per naturam; sicut homo generat hominem et ignis ignem. In quibusdam vero secundum esse intelligibile, ut in his quae agunt per intellectum; sicut similitudo domus praexistit in mente aedificatoris; et haec potest dici idea domus, quia artifex intendit domum assimilare formae quam mente concepit. (Summa th. 1. p. q. 15. a. 1.)

Dicetur fortasse, hanc argumentationem non habere locum, si supponantur corpora quidem elementaria differre quoad speciem in ipsa natura substantiali, non tamen ipsa mixta quae inde componentur, prout nempe sunt huiusmodi. Si enim ita res haberet, ex hac ipsa diversitate substantiali elementorum, et ex diversa ipsorummet combinatione, ratio idonea duceretur ad diversitatem omnem explicandam operationum corporum sive elementarium sive mixtorum.

Respondeo, hoc non videri cohaerenter dici. Et sane, si diversitas quam conspicimus in corporibus elementaribus, nos cogit ad inferendam eorumdem specificam diversitatem in natura substantiali, cum eadem plane ratio militet respectu corporum mixtorum, qua talium, quidni eadem illatio quoad ipsa concludatur? Praeterea, si quis attente rem perspexerit, ex hac explicandi ratione negatur potius, nedum explicatur, propria operatio mixti, prout huiusmodi. Tunc enim nulla alia vigeret unio inter corpora elementaria, nisi quae est plurimum agentium secundum esse diversa in uno eodemque effectu. Est autem plane manifestum, in iis quae sic associantur, tot haberi operationes, quot sunt agentia, considerata scilicet operatione prout ab agente egreditur. Quare, si illa existerent elementaria corpora in mixto, haberemus quidem in ipsis operationes proprias cuiusque corporis elementaris, sed nullo modo operationem aliquam quae sit propria mixti, prout tale est. Ex quo duo sequerentur incommoda. Primo quidem nullum admittere oporteret corpus vere mixtum, sed mix-

tio quaelibet esset tantum secundum minima iuxta se posita, scilicet nonnisi phaenomenica. Nullum praeterea corpus mixtum haberet in se principium motus, secundum quod ipsum, ac propterea eadem esset ratio ipsius quam corporis artificiatii cuiuslibet: nempe nullum existeret corpus mixtum naturae.

32. *Argumentum III.* — Postremo res optime confirmatur ex fine generali totius creationis, qui non est aliud quam ipsamet divinarum perfectionum manifestatio. Huc enim duo spectant potissimum, ut opportuniori loco ex professo declarabimus. Primo quidem ipsamet creaturarum distinctio ac diversitas: dein vero ipsarum creaturarum activitas. Age iam, utrumque magna ex parte minueretur, de medio ablata specifica corporum diversitate in substantiali natura eorumdem. Primum quidem, quia sic non existeret ipsa naturae diversitas, quae est prima et quasi fundamentum aliarum omnium differentiarum. Alterum vero, quod inde consequitur, quia de medio tolleretur omnis vera generatio, ac tota corporum activitas ad sola accidentia terminaretur.

#### THESIS IV.

*Essentia corporum, generaliter ac universe inspecta, duobus constat principis substantialibus realiter invicem distinctis, nimirum materia et forma, tanquam potentia et actu in genere substantiae.*

33. *Probatio potissima.* — Argumentum quo a veteribus haec res praecipue ostendebatur, ut ante diximus (1), deponitur ex transmutationibus quas conspicimus in natura. Sic, aqua resolvitur in oxigenium et hydroge-

(1) Cum veteres, ex praeiudicata ipsorum opinione de natura orbium coelestium, haec naturaliter incorruptibilia pronuntiarent, patet



nium, lignum ex combustione resolvitur in cineres, qui rursus in plantae transeunt alimentum, et planta in cibum animalis, iam age, nemo inficiatur, ex huiusmodi transformationibus merito colligi corpora duobus principiis utcumque constare, quorum unum ut materialis, alterum ut formalis causa existat. Id quippe manifestum est ex ipso mutationis conceptu [Pr. Phi. 649]. Est etiam manifestum, et extra controversiam positum, materiam quae in his transformationibus se habet ut commune et permanens subiectum, in genere substantiae conlineri. Duo propterea in dubium revocantur, atque adeo probatione egent ducta ex his transformationibus. Primo, utrum forma etiam quae est ipsarum terminus, a quo scilicet in corpore quod corrumpitur, ad quem vero in eo quod generatur, sit et ipsa in genere substantiae. Secundo, an a materia, cuius est forma, reipsa distinguatur. Porro utrumque ita colligimus ex citata experientia.

I. Corpora, quoad speciem considerata, mutuo transmutantur. Atqui specifica corporum diversitas non est in solis accidentibus, sed quoad ipsum esse substantiale ipsorum. Ergo in hoc esse, substantiali nimirum, transmutari dicenda sunt. Atqui rursus inintelligibilis est istiusmodi transmutatio, nisi forma, quae est eius terminus, sit in genere substantiae. Ergo tum materia tum forma corporum sunt in genere substantiae.

In hac argumentatione, propositio nota est experientia: assumptio in praecedenti conclusione probata fuit: consequentiae omnes sunt legitimae. Sola itaque subsumpta minor declarari debet. Id vero sic confitemur. Ac primo quidem id patet ex eo quod motus eiusque formalis terminus in eodem sunt genere; motus quippe a suo for-

hoc argumentum ab ipsis non adhiberi nisi quoad corpora *sublunaria*. Ceterum, cum haec opinio, de incorruptibilitate scilicet coelorum, nulla ratione vel probabili nitatur, atque adeo merito sit obsoleta, iure nos argumentum proferre possumus ut validum pro corporibus omnibus universe et generatim.

mali termino speciem sortitur. Si itaque transmutatio est substantialis, eiusmodi sit etiam oportet forma quae est eius terminus. Praeterea, nequit intelligi mutatio substantialis in subiecto, nisi quatenus est in potentia ad ipsum esse substantiale. Atqui manifestum est ex terminis, potentiam eiusmodi correlativum habere actum, non accidentalem, sed substantialem. Hic vero actus, in re praesenti, est forma ipsa quae est transmutationis terminus. Postremo, secundum hanc formam corpus, quod substantiali transmutatione corrumpitur vel generatur, specificam differentiam sortitur in natura substantiali. Atqui absurdum videtur, ut ex principio non substantiali aliquid sortiatur differentiam specificam in natura substantiali. Quare Aristoteles (1. Natur. Auscult. c. 8.) pro magno inconvenienti reputat, quod *substantia constet ex non substantiis*; et (6. al. 7. Metaph. c. 3.) dicit, formam esse *magis substantiam quam materiam*.

II. Quod vero realis distinctio intercedat formam inter eiusque materiam, constat primo quidem, quia potentia et actus, quae sint vere eiusmodi, relative opponuntur, ac propterea realiter distinguuntur. Atqui materia et forma mutuo se complement, ut potentia et actus, idque non secundum intelligendi modum dumtaxat, sed vere et physice. Deinde, materia eadem est in diversis corporibus, eademque perseverat sub utroque transmutationis termino; forma e converso diversa est pro diversitate corporum, et in transmutatione desinit vel incipit esse. Atqui haec sunt praedicata prorsus opposita, quae propterea uni eademque realitati convenire non possunt.

34. *Confirmatio.* — Huius doctrinae cohaerentia cum praecipuis problematibus de natura corporum agitari solitis. — Confirmantur haec quae dicimus ex eo quod sic optima resolutio habetur quoad praecipua problemata, quae in Metaphysica proponuntur, corpoream naturam spectantia. Et ut a viventibus abstrahamus in praesenti, ad quorum naturam et unitatem pro merito declarandam haec sola doctrina idonea invenitur, ut suo loco ostendetur, ac generales dumtaxat utilitates indice-



mus, quae totam naturam corpoream universe respiciunt; haec commoda inde efflorescunt.

I. Manifeste se prodit in hac doctrina discrimen corpus inter et spiritum, idque per causam altissimam, tum intrinsecam, tum extrinsecam. Intrinsecam quidem: assignat enim hanc differentiam in ipso esse substantiali utriusque, unde tanquam ex prima interna radice proprietates ceterae pullulant. Extrinsecam vero, propterea quia hanc ipsam differentiam, internam scilicet, repetit ex diverso gradu similitudinis ad primum exemplar, Deum scilicet. Confer quae ante diximus [27].

II. Ita tuetur compositionem naturae corporeae, ut eiusdem unitati plenissime simul consulatur. Unitas quippe, veri et proprii nominis, ea est dumtaxat quae indivisionem ponit *in ipso esse* rei, ut suo loco declaravimus [Pr. Ph. 453]. Istiusmodi porro indivisio perspicue cernitur in natura corporea, tametsi composita, si haec compositio ex mente Aquinatis explicetur. Compositionem quippe tunc habemus ex materia et forma, sicut ex potentia et actu. Haec duo porro mutuo se complent in uno eodemque esse; cum illud ipsum quod est in potentia fit in actu. Quare hic maxime veritatem habet axioma alibi declaratum: *Actus et potentia sunt in eodem genere* [Pr. Ph. 578]. Ex quo ulterius colligitur, quo pacto natura corporea, tametsi duplici constet substantiali principio, non idcirco est merum *substantiarum aggregatum*, sed *substantia* vere et proprie. Materia enim et forma mutuo se absolvent in ipso primo esse in quo res subsistit, quod quidem in materia est in potentia, per formam autem fit in actu. Unde, in hac doctrina, natura corporea est vere *substantia composita*, sic nimirum *composita*, ut non desinat esse *substantia*. Confer quae in Philosophia Prima disputavimus, th. XI.

III. Manifestissime elucet in hac explicatione discrimen *naturalis* ab *artificiali* corpore. Forma namque qua corpus naturale constituitur, ex mente Angelici, spectat ad ipsam quidditatem substantialem secundum quam ipsum primo subsistit: contra, in corpore artefacto, forma non est nisi accidens ab arte inductum quod totam substan-

tiam rei artefactae subaudit. Quare definitio *naturae* a Philosopho tradita, et communi sapientum consensu recepta, non verbo tenuis dumtaxat, sed reipsa retinetur.

IV. Non minori perspicuitate in hac doctrina elucet specifica corporum diversitas, unde totius universi pulchritudo magna ex parte consurgit. Potissimum quippe argumentum ad hanc ipsam doctrinam constabiliendam inde profecto ducitur, ut haec diversitas in tuto collocetur, et pro dignitate explicetur, ut ex praemissis patet.

V. Illud etiam merito notatur a pluribus, ut ante innuimus [17], extrema in quae impingit *mechanica* et *dynamica* explicatio, ad naturam corporum quod spectat, optime vitari a doctrina scholastica, atque adeo eam minime subici difficultatibus et incommodis quae in utraque hac philosophandi ratione ante notavimus. Apposite Matthaeus Liberatore. "Systema hoc vere medium viam incedit inter duo extrema contraria, et dualitatem servat, essentialiae corporum omnino necessariam. Si enim res funditus consideretur, cetera systemata ex eo peccant, quod ad essentialiam corporis explicandam, vel afferant solam realitatem extensam, ut Atomistae; vel afferant solam vim inextensam, ut Dynamici. Systema Scholasticum utraque coniungit, et quoad conceptum perficit; atque ita incommoda devitat quae ex exclusione unius vel alterius, aut etiam utriusque perversa iunctione enascuntur." (*Institutiones Philosophicae*, Cosmol. n. 125. Edit. an. 1881). Confer quae in eandem rem seite observat I. Kleutgen (*Filosofia antica*, tratt. 7. c. 3.).

VI. Denique, ne plura consecter, id emolumentum habet haec sententia, ut doctrina Aquinatis in re gravissima et quae fundamentum est multarum disputationum, sive in Philosophia, sive in Theologia, minime relinquatur. Quanti vero doctrina Angelici sit facienda, et quanti periculi sit eam deserere, nemo est qui ignorat. Lege Encyclicam Leonis XIII. f. r. *Aeterni Patris*, d. 4. Augusti, anni 1879.



SECTIO VI.

*Obiecta dissolvuntur.*

35. Difficultates opponi solitae contra materiam primam, prout in hoc systemate concipitur. — Quae ab adversariis hac in re opponuntur, alia impetunt ipsum generalem conceptum *substantiae compositae*, quasi notionem exhibeat terminis mutuo sibi contradicentibus constantem. Haec tamen iam in Philosophia Prima praecipuimus cit. thes. XI., quae propterea hic minime retractare oportet. Alia vero speciatim militant contra duo essentialia principia, unde substantia corporea componi intelligitur ex mente Scholasticorum. Haec modo examinabimus: ac primo quidem quae directe impugnant notionem *primae materiae* ante expositam.

*Obiectio I.* — Materia prima passim a veteribus dicitur esse *nec quid, nec quale, nec quantum*. Atqui videtur manifestum, rem istiusmodi esse sonum sine mente, vel a nihilo non differre. Ergo prima materia, de qua Scholastici, est plane nihil vel chirmaera.

Respondeo. *Distinguo maiorem*. Materia prima dicitur passim a veteribus *nec quid, nec quale, nec quantum*, si haec intelligantur esse eiusmodi, tum *actu*, tum *potentia, neg.*; si haec sint quidem *actu* eiusmodi, non vero *potentia, conc. Contradistincta minori, neg. conseq.*

Ut in IV. Disputatione Philosophiae Primae ex professo declaravimus, praeter divisionem entis in suprema generis quae praedicamenta seu categoriae vocantur, omnino admittere oportet, quo praesertim mutationis veri nominis ratio constat, alteram entis, scilicet ens est, divisionem, qua scilicet dividitur in potentiam et actum; potentiam intelligendo, non eam tantummodo quae obiectiva dicitur, vel activa, verum etiam, quae physica quidem est et rea-

lis, passiva tamen. Haec porro divisio ut ibidem notavimus [437, III], non est generis in species, sed notionis analogicae, quae per prius de ipso ente praedicatur quod actu et potentia constat, posterius vero de hoc actu et potentia, prout sunt *principia quibus* ens absolvitur. Iam age, si res ita habet, constat autem aliunde, mutationem proprii nominis ad ipsum esse substantiale quarundam rerum se porrigere, corporalium nimirum; manifeste consequitur, notionem sive potentiae sive actus, quam descripsimus, etiam in genere substantiae veritatem habere. Istiusmodi autem potentia est ipsissima prima materia, de qua Scholastici Doctores. Haec propterea non est *aliquid actu*, est tamen *aliquid in potentia*, ad quidditatem scilicet spectans substantiae corporalis. Ex eadem ratione non est *nec quantum, nec quale, nisi in potentia tantum*; quantitas quippe, et qualitas, quemadmodum accidentia cetera, subaudiunt actu constitutum subiectum ipsum seu substantiam, cui advenire intelliguntur. Quare Aristoteles (6. al. 7. *Metaph.* c. 3.), unde excerpta sunt verba quae modo interpretamur, non dixit solummodo materiam esse nec quid, nec quale, nec quantum, sed seite addidit; *nec aliquid eorum quibus ens determinatur*, gr. *ὅρισται τὸ ἐν*, quo loquendi modus ostendit sermonem haec esse non de re qualibet cui ratio entis realis utcumque conveniat, sed de actu significante tantum vel de re tali actu iam specificata. Lege S. Thomam (l. c. lect. 2.).

*Obiectio II.* — Prima materia, quum dicatur ingredi in realem constitutionem substantiae corporeae, essentiam aliquam, tametsi incompletam, habere debet, non in mente concipientis dumtaxat, sed in ipsa natura rerum. Atqui quidquid est huiusmodi, eo ipso existit physice et realiter, *actu* nimirum. Ergo prima materia in nullo genere concipi potest per modum purae potentiae, physicae scilicet.

Responso quae a non paucis Doctoribus Scholasticis huic difficultati aptatur, supponit, inveniri in materia, secundum se considerata, actum *entitativum* reipsa distinctum ab eo, quo existit tum forma tum compositum. Quare,



cum materia dicitur pura potentia, id accipiunt, non per exclusionem cuiuscumque actus sive formalis sive entitativi [*P. Ph.* 568], sed formalis dumtaxat. Addunt tamen, materiam eiusmodi actum proprium entitativum nunquam habere, naturaliter saltem, nisi in sua confectione cum forma, h. e. in composito. Hanc sententiam amplectuntur non solum ii omnes, qui essentiam ab esse non distinguunt in rebus creatis, nisi sola distinctione rationis virtuali, sed etiam nonnulli ex iis qui hae distinctione minime sunt contenti. Confer Suarez (*Metaph.* D. 13. sect. 4, 5), Conimbricenses (*De Physico Audit.* c. 9. q. 6. a. 2, 3.). Consequenter tamen ad principia quae in Philosophia Prima praemisimus [584, seqq.], alium respondendi modum eligimus, qui difficilior est quidem, at verus, ut nobis videtur, et ex mente procul dubio Angelici Doctoris. Nimirum, quemadmodum l. c. observavimus, non perinde est *habere* actum quo actu aliquid est, ac *esse* seu identificari cum hoc ipso actu. Sic etiam prima materia in sua confectione cum forma unde compositum exurgit, physice quidem existit ac propterea *habet* actum entitativum quo existit, sed non idcirco inde concludere licet, hunc actum eundem reipsa esse cum ipsa potentialitate materiae primae. Nihil itaque prohibet, quinimmo prima materia sit quidem seu existat physice et realiter in composito, per eundem tamen actum entitativum quo est seu existit ipsum compositum. Quocirca sic in forma respondere licet obiectae difficultati.

*Conc. mai. Dist. min.* Quidquid est huiusmodi..... actu nimirum, quatenus identificari debet cum hoc ipso actu quo physice et realiter existere dicitur, *neg.*; quatenus informari debet ab actu, *conc. Sub data dist. neg. consequ.*

Instabit. Prima materia creatione tantum esse incipit: dicitur praeterea esse causa veri nominis, respectu compositi saltem. Atqui creatio per se primo tendit ad esse; praeterea, nihil est causa nisi praecognoscatur iam esse, naturae saltem prioritare. Ergo materia prima, ut pura potentia, nihil est.

Respondeo. *Dist. 1<sup>am</sup> p. maioris.* Prima materia creatione tantum incipit esse seorsum a forma, *neg.*; una cum forma, creatione scilicet totius compositi, *conc. Dist. 2<sup>am</sup> p. maioris.* Dicitur praeterea causa efficiens respectu compositi, *neg.*; causa materialis, *conc. Contradist. pariter min. et nego consequens.*

Ut expresse docet S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 45. a. 4.), in prima molitione rerum corporalium, creata a Deo fuerunt, vere et proprie, non materia tantum aut forma, sed corpora quae primo subsistere incoeperunt, quae demum cunq̄ue haec fuerint; materia vero et forma quibus haec constabant, non tam creata, quam *concreta* dici debent. Quare haec habet in responsione ad 2<sup>am</sup>. \* Cum dicitur, *prima rerum creatarum est esse*, *ly esse* non importat substantiam creatam, sed importat propriam rationem obiecti creationis... Et est similis modus loquendi, sicut si diceretur quod primum visibile est color, quamvis illud quod proprie videtur, sit coloratum. , Proposita insuper ratione qua ostenditur, materiam, utpote primum subiectum cuiusque transmutationis, non posse nisi creatione produci, haec addit in resp. ad 3<sup>am</sup>. \* Dicendum quod ratio illa non probat quod sola materia creetur, sed quod *materia non sit nisi ex creatione*: nam creatio est productio totius esse, et non solum materiae. , Et hoc optime facit similitudo illa qua B. Augustinus ante citatus [20, fin.] materiam comparavit *sono*, formam *verbo*; quae non seorsum aut diversa actione existere incipiunt, sed simul et una eademque actione. Ad illud vero quod ab obiecto secundo loco oggerbatur, iam in Philosophia satisfecimus [595, 679], ubi ostendimus, ad naturae prioritatem requisitam in causa respectu sui effectus, minime postulari, universaliter loquendo, quod causa suo effectui praexistere intelligatur. Neque obstat, quod in corporibus quae generatione oriuntur, materia concurrat non solum ut causa *essendi*, verum etiam ut causa *fiendi*; ad quod genus causalitatis videtur praerquiri existentia. Id quippe verissimum est: sed verum est etiam, istiusmodi generatio- nis non habere locum, nisi quatenus unum corpus trans-



formatur in aliud; unde illud, *Corruptio unius est generatio alterius*. Quare, in hac hypothesis, materia concurret quidem ut causa fieri respectu formae generandae, sed prout existit sub actu corporis corrumpendi. Et haec est ratio quamobrem Doctor Angelicus paulo ante docuit, in prima rerum molitione, una eademque actione creativa, non solum materiam, sed formam etiam fuisse *concreatas*. Ceterum haec melius intelligentur, cum de *Generatione substantiarum naturalium*, et de *Creatione* ex professo agemus.

**Obiectio III.** — Materia corporalis dicitur a Scholasticis *una quidem eademque*, in potentia tamen ad formam *cuiusque corporis*. Atqui hoc postremum manifestae experientiae repugnat; allerum vero non probatur, immo affinitatem quamdam redolere videtur cum pantheistico errore de unitate substantiae. Attribuitur insuper huic materiae inominatus quidam *appetitus* respectu formae qua completur. Atqui appetitus actum, non puram potentiam, denotare videtur.

Respondeo. Quae hic oggeruntur, sola terminorum interpretatione evanescent. Haec propterea notentur.

I. Cum ponuntur corpora una eademque materia constare, minime sermo est de unitate *reali* et *numerica*, quasi materia unius corporis reipsa minime distinguatur a materia alterius. Hoc quippe iam reprobavimus in Logica [th. XV]. Intelligitur proinde de sola *unitate rationis* et *identitate similitudinis*: ex quo fit, ut corpora adaequate quidem distinguantur invicem, diversitatem tamen specificam vel genericam non sortiantur, nisi ex forma. Hoc autem minime gratis asseritur a Doctoribus Scholasticis. Si enim corpora elementaria vere et substantialiter transmutantur in mixtum, puta oxigenium et hydrogenium in aquam, necesse est affirmare, haec corpora in materia convenire, quippe quae est commune subiectum huius transformationis. Atqui aliunde constat, oxigenium et hydrogenium misceri substantialiter tum inter se, tum etiam cum reliquis omnibus corporibus elementaribus ad diversa mixta eformanda. Ergo corpora omnia, sive elementaria, sive mixta, communem materiam merito habere dicuntur.

Ceterum haec luculentius patebunt ex iis, quae in Disputatione sequenti subieciemus de veritate mixtionis ac formae substantialis unitate.

II. Si corpora in materia conveniunt, ut modo explicavimus, legitime inde consequitur etiam, materiam corporalem, secundum suam essentiam inspectam, esse in potentia ad formam cuiusque corporis. Hoc vero minime datur intelligi, materiam, secundum se spectatam, esse eodem modo in potentia, et ut sic dicam, in eodem potentialitatis gradu, respectu cuiuscunque formae. Sicut enim corpus, licet sit in potentia ad quaecunque loca, ad quaedam tamen immediate, ad alia vero plus minusve mediate; quemadmodum etiam, in spiritualibus, licet intellectus sit in potentia ad omnes formas seu species intelligibiles, proxime tamen non est idoneus nisi ad species primorum conceptuum et incomplexorum, et his medianibus secundum naturae ordinem ulterius actuari potest respectu aliarum intellectionum: consimili ratione datur etiam determinatus naturae ordo, qui servari debet a causis naturalibus, ut materia corporalis de una in aliam formam transformetur. Quis vero sit determinatus hic naturae ordo, scientiae naturales, experientia praecunte, patefacere debent. Quod si attendamus ad solam omnipotentem Dei virtutem, nihil prohibet, quemadmodum aquam in nuptiis Canae Galilaeae in vinum immediate transmutavit, sic etiam aliud in aliud quodeunque corpus immediate converteratur: quo sensu dicitur materia Deo *obedire ad nutum*. Lege S. Thomam (*Summa th.* 1. p. q. 105. a. 1.).

III. *Appetitus* denique qui materiae attribuitur, non est *elicitus*, sed *innatus*, qui consistit in ipsa naturali capacitate seu proportione materiae cum forma, qua naturaliter completur vel compleri potest. Haec porro capacitas ideo vocatur *appetitus*, quia per eam a Deo ordinatur ad bonum sibi consentaneum, ita ut quodammodo *radere* intelligatur et non solummodo *duci* in finem debitum. Confer quae in hanc rem declaravimus in Philosophia Prima [562]. Patet autem, appetitum sic intellectum non esse actum quendam sive formalem sive



entitativum, sed ipsam materiam potentialitatem, prout connotat naturalem finem quem ex se spectat sub ordinatione Creatoris. Ex quo etiam patet, huiusmodi appetitum seu potentiam non esse per modum facultatis cuiusdam ab ipsa materia distinctae eique superadditae, sed ipsisimam eius essentiam. Quare S. Thomas. "Actus ad quem est in potentia materia prima, est substantialis forma; et ideo potentia materiae non est aliud quam eius essentia." (*Summa th.* 1. p. q. 77. a. 1. ad 2.)

36. **Obiecta in formam substantialem.** — Quae huc spectant, alia dicuntur ex ipsa consideratione formae eiusmodi, quatenus ut pars exhibetur in constitutione substantiae naturalis; alia vero respiciunt modum quo ea produci dicitur secundum principia Scholasticorum. Priores tantum difficultates in praesenti examinamus; ceteras vero ad opportuniorum locum reservamus, quum data opera agendum erit de generatione substantiarum naturalium.

**Obiecto I.** — Materia et corpus communi sermone haud raro perinde accipiuntur. Ergo signum est, substantiam totam rei corporeae sola materia absolvi, citra substantialem formam a Scholasticis introductam.

Respondeo. *Conc. antec., neg. conseq.* Ratio quare *corporeis* et *materiae* nomina ad rem eandem designandam quandoque adhibentur, duplex est. Prima, quia plerumque attenditur non ad ipsam primam constitutionem corporum, eamque naturalem, sed ad dispositionem generalem totius naturae, qua diversa corpora adspectabilem et pulcherrimam hanc mundi machinam efformant, vel etiam ad diversas formas artificiales quas operatione hominum corpora induunt vel induere possunt. Patet autem, subiectum quod tamquam materialis causa se habet in re eiusmodi, esse corpus vel corpora. Quare plures distinguere consueverunt *primam* a *materia secunda*, habito respectu scilicet ad formam substantialem vel accidentalem. Altera ratio cui innititur obiectus loquendi modus, inde repetitur, quod plerumque nos figurate loquimur, saepe denominantes per synecdochem partem a toto et viceversa. Quare nihil prohibet hoc modo denominare corpus a materia qua con-

stat, tametsi haec non est corpus sed pars tantum essentialis ipsius. Quod idcirco facimus, quia, ut ante declaravimus [27], prima et fundamentalis ratio qua corpus a spiritu distinguitur, ac determinatum suum essendi gradum habet, haec est praecise, quod *substantia* sit *materialis*, nimirum *materia constans*.

**Obiecto II.** — Unumquodque corpus componitur ex iis, in quae per chemicam analysim resolvitur. Atqui chimica resolutio nullam formam substantialem exhibet. Ergo nullae sunt formae istiusmodi.

Respondeo I. — Ipsi adversarii negare non possunt, ad essentialem constitutionem corporis mixti, prout eiusmodi, pertinere saltem formam illam, qua diversa elementa hoc modo potius quam alio, sive in spatio disponuntur, sive mutuo agunt et repatiuntur, quaeque in causa est cur hoc potius mixtum habeatur quam aliud. Atqui certe, chimica analysi peracta, nulla elucet forma seu dispositio istiusmodi; quin immo propterea praecise elementa apparent, quia prior illa forma seu dispositio cessavit. Quidni igitur, aliquid simile de substantiali forma concipiatur, de qua Scholastici Doctores? Profecto quidem, fiat quaeso analysi chimica canis vel hominis, ac nullibi certe videbitur anima, quae procul dubio constituebat canem vel hominem.

Respondeo II. *Distinguo maiorem.* Si sermo sit de compositione qua elementa miscentur in mixto, *con.*; si sermo sit de compositione qualicumque, *neg. Conc. min. Dist. cons.* Ergo nullae sunt formae eiusmodi, si quis imaginetur eas cum materia *misceri*, ut mixtum quoddam ex materia et forma inde efflorescat, *con.*; si res legitime concipiatur, prout veritas habet, *neg.* In compositis ex materia et forma, haec se habet ut actus, illa ut potentia. Actus vero complet quidem potentiam, cum ea tamen minime miscetur. Contra, elementa quae mixtum componunt, miscentur invicem, nec unum se habet ad alterum ut materia ad formam, sed mixtione peracta communii formae, qua mixtum constituitur, subiciuntur: quod qua ratione fiat, alibi discutiemus. Resolutio autem chimica



transformatione quadam perficitur. In omni porro transformatione remanet certe subiectum, non vero terminus a quo ipsiusmet transformationis; qui quidem terminus est forma ipsa, qua constat res quae transformari dicuntur. [Pr. Ph. 623.]

**Obiectio III.** — Materia idcirco prima vocatur quia est *primum subiectum* rei corporalis. Atqui substantia nihil est aliud nisi primum subiectum, quod in re quam intelligitur respectu ceterorum quae eidem insunt. Ergo tota substantia rei corporalis sola materia absolvitur.

Respondeo. *Dist. maiorem.* Materia idcirco prima vocatur quia est primum subiectum *ex quo ut potentia constituitur* res corporalis in ipso esse in quo primo subsistit, *conc.*; materia.... est primum subiectum *actu iam constitutum* in esse, in quo cetera supervenire intelliguntur, qui ipsum constituent in ipso esse in quo primo subsistit, *neg.* *Contradist. min. Neg. conseq.*

Distinctio constat, tum ex iis quae in Philosophia Prima de notione substantiae disputavimus, tum ex declaratione ante tradita in sectione IV. huius Disputationis. Apposite rursus Angelicus, \* Per animam enim intelligimus id quo habens vitam vivit: unde oportet quod intelligatur sicut aliquid in subiecto existens, non solum prout subiectum dicitur aliquid ens actu, *per quem modum accidens dicitur esse in subiecto*, sed etiam secundum quod *materia prima, quae est ens in potentia*, dicitur subiectum. \* (2. De Anima, lect. 1.) Et alibi. \* Duplex est esse: scilicet esse *essentiale* sive esse *substantiale* rei, ut hominem esse: et hoc est *simpliciter*. Est autem aliud esse *accidentale*, ut hominem esse *album*: et hoc est esse *secundum quid*. Ad utrumque autem esse est aliquid in potentia: aliquid enim est in potentia ut sit homo...., aliquid in potentia ut sit album... Sed in hoc differunt: quia illud quod est in potentia ad esse *substantiale*, dicitur *materia ex qua*; quod autem est in potentia ad esse *accidentale*, dicitur *materia in qua*. Item, proprie loquendo, illud quod est in potentia ad esse *substantiale*, dicitur *materia prima*; quod autem est in potentia ad esse *acci-*

*dentale*, dicitur *subiectum*; subiectum enim dat esse accidenti, quia accidens non habet esse nisi per subiectum; unde dicitur quod accidentia sunt in subiecto. Et secundum hoc differt materia a subiecto: quia subiectum non habet esse ex eo quod aliquid ei adventit, sed quod est per se et habet esse *completum*; ut homo non habet esse per albedinem. Sed materia dicitur quod habet esse ex eo quod sibi adventit, quia de se esse *incompletum*, immo nullum esse habet, ut dicit Comment. in 2. De Anima. Unde, simpliciter loquendo, forma dat esse materiae, accidens autem non dat esse subiecto, sed subiectum accidenti: licet aliquando ponatur unum pro alio, scilicet materia pro subiecto, et e contrario. \* (Opusc. 27. al. 31. De Principiis Naturae ad fr. Silvestrum.)

**Obiectio IV.** — Saltem minime videtur certum, S. Thomam reipsa distinxisse formam a materia. Cum porro in hac distinctione sita sit vis peripatetici systematis, minime licet invocare auctoritatem tanti Doctoris ad hanc theoriam fulciendam.

Respondeo. *Nego antecedens.* Si liceret in dubium revocare etiam quae clarissime patent, non est profecto cur ulterius disputetur. Atqui realis distinctio formae substantialis a materia perspicua est omnino in omnibus plane operibus S. Doctoris. Constante quippe ibi apparet corpus, prout ex forma et materia constat, ut compositum non *metaphysicum*, quale esset ex genere et differentia, sed *physicum* (1). Compositio vero physica, omnibus fa-

(1) \* Dicendum quod differentia est quae constituit speciem. Unumquodque autem constituitur in specie, secundum quod determinatur ad aliquem specialem gradum in entibus; quia species rerum sunt, sicut numeri, qui differunt per additionem et subtractionem unitatis, ut dicitur in 8. *Metaph.* In rebus autem materialibus aliud est, quod determinat ad specialem gradum, scilicet forma, et aliud quod determinatur, scilicet materia. Unde ab alio sumitur genus, et ab alio differentia. Sed in rebus immaterialibus non est aliud determinans et determinatum; sed unaquaeque earum secundum seipsam tenet determinatum gradum in entibus. Et ideo genus et differentia in eis non accipiuntur secundum aliud et aliud, sed secundum unum et idem, quae tamen differunt secundum considerationem nostram. In quan-



tentibus, ex realiter distinctis efflorescit. Sunt praeterea realiter contradictoria praedicata quae, ex doctrina Angelici, materiae et formae conveniunt, quae propterea uni eidemque rei convenire non possunt. Materia enim exhibetur ut pura potentia physica in genere substantiae; forma ut actus substantialis: illa est ingenerabilis et incorruptibilis et nonnisi creatione esse incipit, quemadmodum sola annihilatione desinere posset; forma vero, sola anima rationali excepta, per veram generationem producitur, et vera etiam corruptione desinit: materia a solo Deo creatur; forma autem producitur actione causarum secundarum, excepta iterum anima rationali: materia est una in omnibus corporibus, et in omni mutatione iugiter manet; atqui forma est substantialiter diversa pro diversitate corporum et in omni mutatione substantiali desinit esse, nisi sit subsistens qualis est sola anima rationalis. Ita S. Doctor (*Summa th. 1. p. q. 66. a. 2., q. 90. a. 2., q. 118. a. 1.; Qq. Disp. De spirit. creat. a. 1.; De Pot. a. 11; 1. Physic. lect. 15.*), et alibi passim. Postremo signum certissimum existit realis distinctionis oppositio relativa; unde, etiam in mysterio augustissimae Trinitatis, ex relativa oppositione divinarum Personarum ad invicem theologos omnes earundem realem distinctionem comprobant. Atqui Angelicus ubique materiam et formam exhibet, ut duo realiter invicem correlata. Mutuo enim se complent ut potentia et actus, idque physice et substantialiter; potentia porro relative opponitur actui quo completur. Dein vero, ex mente S. Doctoris, sola excepta anima rationali (quam profecto S. Thomas a materia distinguit), omnes ahae formae de potentia materiae educuntur; quidquid autem sit istiusmodi deductio, clarissime tamen exprimit relationem originis unius ex alio. Unde manifestum esse

tum enim intellectus noster considerat illam rem, ut indeterminate, accipitur in eis ratio generis; in quantum vero considerat, ut determinate, accipitur ratio differentiae. (*Summa th. 1. p. q. 50. a. 1. ad 1.*) Gemina habet (*Ibid. q. 66. a. 1. 2.; q. 88. a. 2. ad 4.; 1. 2<sup>o</sup> q. 67. a. 5.*).

potest, difficile inveniri discrimen, quo etiam unam substantiam ab alia discernimus, quod S. Doctor non posuerit materiam inter et formam. Quare quotquot ad haec usque tempora Aquinatem vel sequuti fuerunt, vel etiam oppugnarunt, nullam plane dubitationem quoad eius mentem in hac parte habuerunt.

Dicetur fortasse. Ex doctrina Angelici (*Summa th. 1. p. q. 66. a. 1.*), nec de potentia Dei absoluta, prima materia potest existere absque ulla forma; praeterea, et ante concessum est, forma a S. Doctore dicitur educi de potentia materiae, quemadmodum etiam assertitur ea proprie non esse, sed compositum potius esse per eam (*Summa th. 1. p. q. 45. a. 4.*). Atqui haec bene intelliguntur, si forma sit modus quidam indistinctus a materia, minime vero, si ambo reipsa distincta exhibeantur.

Respondeo I. Ut alieni Doctori attribuaturs aliqua opinio, minime satis est, ut ab eo affirmetur una tantum praemissarum, unde postea ex propria ratiocinatione haec conclusio derivetur, praesertim ubi de ipsius mente constat aliunde. Secus nulla sane daretur conclusio, ut ut absurda, quae Doctori cuilibet appingi non posset. Exemplo rem accipias, S. Thomas manifeste docet (*Summa th. 1. p. q. 50. a. 1.*), Angelos non posse in una eademque specie numerice multiplicari. Atqui (sic liceret complere argumentationem), hoc est solius divinitatis proprium, ut Doctores multi nec sane ignobiles probant. Deducemus ne, ex mente Aquinatis, Angelos esse totidem Deos, vel saltem minime certum esse, an S. Doctor id negaverit? Minime gentium. Simili ratione, verum est admitti ab Angelico duo illa principia, quae ab obiectante assumuntur, sed illegitime inde concluditur tanquam doctrina eiusdem conclusio, quae ope alterius assumptionis inde derivatur.

Respondeo II. Etsi materia existere non potest absque ulla forma, de nulla tamen forma determinata affirmari potest, ex mente Aquinatis, sine ea materia existere non posse. Atqui hoc ipsum est manifestum iudicium distinctionis realis, ut ante dicebamus. Aliud vero hoc unum statuit, materiam scilicet ex doctrina Angelici essentialiter



*exigere ut aliqua forma actuetur: exigentia autem non est identitas.* Est praeterea simpliciter falsa affirmatio, quae per modum axiomatis supponitur in facta obiectione, nimirum, semper ac aliquid ab alio realiter distinguitur, eo ipso posse de potentia Dei absoluta manere sine illo. Sic, impossibile profecto est, verbum mentale conservari a Deo absque intelligente; siquidem eo ipso desineret esse vitale. Atqui certissimum est, realiter ipsum distingui ab intelligente a quo procedit; processio quippe, etiam in divinis, est signum realis distinctionis. Ad illud vero quod in obiectione additur de eductione formae de potentia materiae, et quod proprie non habeat esse sed compositum potius per formam, iam abunde satisfacimus, quantum ad rem praesentem spectat, in Philosophia Prima [527, obiect. III]. Hoc unum praeterea modo addimus, hanc doctrinam ab Aquinate proponi, ut universaliter veram quoad *omnes formas*, una excepta anima rationali. Quare expresse docet (*Summa th.* 1. p. q. 118. a. 1.; Qq. Disp. Pot. q. 3. a. 11.), animam etiam pure sensitivam, qualis est anima belluina, non esse per creationem, sed educi de potentia materiae, et hoc ideo quia ei per se non debetur esse, sed soli composito per eam. Suspicabimur ne propterea, num S. Doctor etiam eiusmodi formam, animam nempe brutorum, a materia reipsa non distinxerit? Non puto.

Instabis iterum. Doctrina de materia et forma realiter invicem distinctis inextricabiles habet difficultates in Philosophia et Theologia. Atqui, pro honore debito Aquinati, non licet doctrinam eiusmodi ei attribueret.

Responsio facili et manifesta retorsione sic absolvitur. Honor debitus tanto Doctori exigit, ut ei minime adscribatur sententia quae multa habet incommoda in Philosophia et Theologia. Atqui Angelicus, citra dubitationem ullam, doctrinam de materia et forma realiter distinctis apertissime tradidit, ut ex praemissis patet, et quidem ut unum e praecipuis punctis suae philosophiae. Ergo praedieta incommoda huic doctrinae minime insunt. Ceterum minime oportet istiusmodi tricis ulterius implicari in se manifestissima.

## DISPUTATIO II.

## DE DIVERSITATE CORPORUM

## SECTIO I.

*Praemittitur Doctrina Aquinatis de distinctione formarum.*

37. *Consecutio ad praecedentia.* — Doctrina Angelici, naturam corporum quod spectat, duabus quasi partibus praecipuis absolvitur. Altera ea est quam in Disputatione praecedenti exposuimus, de intrinseca scilicet compositione naturae corporalis ex materia et forma. Altera vero est ea quae, in uno eodemque corpore, non plures sed unam substantialem formam agnoscit. Quemadmodum porro ex prioris veritate ipsa generica natura corporis immotescit; ita ex recta intelligentia alterius mira corporum diversitas secundum speciem et uniuscuiusque propria ratio profunde explicatur. Haec autem duo ita sunt invicem nexa, ut, si res bene penetraretur, unum sine altero vacillet, quemadmodum ex iis quae dicturi sumus haud difficulter intelligi poterit. Ex iisdem quippe principis secundum eandem consecutionis rationem derivantur (1). Quo vero distinctius

(1) En quomodo S. Doctor loquitur de huius sententiae gravitate, quae scilicet substantialis formae unitatem tenet. "Quoniam sanctum est honorare veritatem prae ceteris amicis, ut dicit Philosophus in I. Ethic., ideo virtuosus homines non dimittunt propter veritatem ami-